

sione violetur. INNOCENTIUS I. epist. 9. ad Probum asserit, matrimonio dari gratiam divinam, quando celebratur: atqui celebratur, quando parochus benedictionem elargitur; ergo. Similia habet in epist. ad Victricium Rothomagensis. Et HORMISDAS relatus c. Nullus 3. q. 5. Nullus, inquit, *fidelis occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino*. His adde Nicolaum I. in epist. ad Rodoaldum, et relatum c. Lotharius 31. q. 2. ubi docet matrimonium inter Lotharium et Waldradam initum dissolvendum esse, si non fuerit cum benedictione sacerdotis celebratum.

3°. Ex Conciliis. CARTHAGINENSE IV. can. 13. (Labb. t. 2. p. 1201. A.) conjuges monet, ut nocte post acceptam benedictionem, ob reverentiam benedictionis se contineant. COLONIENSE habitum anno 1536. part. 7. cap. 40. (Labb. t. 14. p. 541. A.) ait sacramentum matrimonii, si quis, sicut decet, acceperit, *accedente sacerdotali precatone*, conferre donum Spiritus sancti, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam, ubi verba: *accedente sacerdotali precatone*, manifeste demonstrant, ait Tournely, mentem hujus Synodi esse, sacerdotalem precatonem esse formam hujus sacramenti. Et in Enchiridio, quod jussu hujus Concilii editum est capitulo penult. dicitur: *Quanto magis putandum est in nova Lege sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus sacramenti ministros esse*. CAMERACENSE habitum anno 1567. paulo post habitam Sess. 24. Concilii Tridentini; item RHEMENSE anno 1583. (Labb. t. 15. p. 897. F.) et quædam alia partim meminerunt sacerdotalis benedictionis, partim parochum vocant ministrum. Specialiter vero Concilium LATERANENSE c. *Cum in Ecclesie corpore* 9. de simonia, ait horribile esse pro benedictionibus nubentium, sive aliis sacramentis aliquid accipere; ergo supponit hanc benedictionem esse de essentia sacramenti. Denique in fine Concilii CONSTANTIENSIS Martinus V. inter sacramenta numerat matrimonii solemnitatem.

4°. Ex variis Ritualibus; inter quæ Romanum antiquum anno 1494. ait: *Contrahentibus respondentibus, se nec affines, nec consanguineos, etc. Sacerdos pronunciet verba, quæ sunt forma hujus sacramenti*. Et aliud Romanum jussu Pauli V. editum in præfatione ait, inter sacramenta, quorum administratio ad parochos pertinet, esse matrimonium. Quod idem reperitur in Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo part. 4. Act. Rituale Atrebatense anni 1600., Yprense 1576., jubent, ut sacerdos dicat, et ego tanquam Ecclesie minister vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, etc. Similiter Mechliniense 1589. sed et plura alia benedictionis meminerunt. Ergo.

R. N. Ant. Ad prob. 1^{am}. et 2^{am}. R. 1°. generaliter, nullum ex allatis SS. Patribus et Pontificibus loqui vel verbulo de benedictione parochi dicentis: *ego vos conjungo*, etc. quam tamen adversarii ex Tridentino volunt esse essentialem; sed loquuntur de alia, qua sacerdos per varias orationes nubentibus solemniter benedicit; quæ benedictio est solum accidentalis, cum adhiberi non soleat nuptiis secundis, nec primis tempore Adventus et Quadragesimæ. Proferant autem, si possint, vel unicum textum ex S. Patre, vel summo Pontifice, qui testetur benedictionem illam factam fuisse per verba ista: *ego vos in Matrimonium* etc. quod quamdiu non faciunt, frustra textus accumulunt; cum juxta adversarios sola ea benedictio, quæ per illa verba fit, essentialis sit. In specie vero

Ad 1^{am}. prob. ex Patribus. R. TERTULLIANUS loquitur de benedictione accidentali, qua sacerdos per varias preces benedicit neo-sponsis; nam ante hanc benedictionem supponit jam matrimonium in suo esse perfectum; quod indicant ejus verba: *quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio*. Deinde si testimonium Tertulliani aliquid probaret, sequeretur, ea omnia esse de essentia, quæ ibi recenset, et sic etiam foret renuntiatio angelorum; nam postquam dixisset, *et obsignat benedictio*, immediate subdit: *et angeli renuntiant*. Cæterum agit hic Tertullianus de conjugio fidelium, ostendendo illud felix esse, quod tot sacris ritibus peragatur, secus ac fiat in conjugii infidelium; id quod verum est, etiamsi ea benedictio essentialis non sit. S. Basilii similiter benedictionem illam accidentalem intelligit; sine hac enim non solebant fideles celebrare matrimonia, cum adhiberi deberet ex præcepto. S. Ambrosius intelligendus est non de sanctificatione sacramentali, quæ ex opere operato habetur; sed accidentali quæ habetur per preces sacerdotis benedicientis. Ratio responsionis ex ipso S. Doctore patet; dehortatur enim eo loco fideles, ne cum infidelibus matrimonia ineant sine ritibus sacris, quibus sanctificari alias matrimonia oportet; addit enim immediate: *quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* Alias, si velis verba S. Doctoris tibi ad rem facere, dicas etiam, velamen sacerdotale ad essentiam hujus sacramenti spectare.

Ad 2^{am}. prob. ex summ. Pontif. R. Ad Evaristum: 1°. Epistola illa Evaristi plurimis recentioribus supposititia videtur. 2°. Hoc etiam transmissio D. Vocat ea matrimonia adulteria, vel juxta præsumptionem fori externi, non reputantis pro vero matrimonio, quod probari non potest; vel ea tantum matrimonia clandestina, in quibus non adest verus utriusque consensus C. secus N. nam statim subjicit: *nisi voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima*. Et sic adversarii ipsi explicare Evaristum debent; cum non negent conjugia sine dicta benedictione parochi esse vera conjugia in ratione contractus, consequenter fateri debeant, non fuisse adulteria. Et vero si negare vellent, illa conjugia fuisse vera saltem in ratione contractus, Tridentino aperte contradicerent, quod Sess. 24. cap. 1. declarat, *clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*.

Ad Innocentium I. R. D. Tunc dari gratiam ex opere operato, vi benedictionis N. vi positi consensus mutui C. Hormisdas ibi asserit solum præceptum adhibendi benedictionem sacerdotis, id quod non negamus; sed solum, hanc fuisse essentialem sacramento. Nicolaus I. ita scripsit juxta præsumptionem fori externi, in quo non reputatur pro matrimonio vero, quod a partibus probari nequit. Nimirum Lotharius repudiavit Teutpergam uxorem suam, ut Waldradam pellicem duceret. Mandat igitur Pontifex Rodoaldo legato suo, ut nullum hoc matrimonium declaret, nisi probet Lotharius, quod prius, ante Teutpergam, duxerit Waldradam, non clam, sed palam, cum benedictione sacerdotis, ut refert Baronius ad annum 862. En verba Nicolai I. *Si minime probatum fuerit, Waldradam fuisse uxorem legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis, per benedictionem scilicet sacerdotis celebratis, filio nostro Lothario fuisse conjunctam, suggerite illi, ut*, etc. Ergo loquitur juxta præsumptionem fori externi. Sed cum constet ex Trid. cit. matrimonia clandestina saltem fuisse vera in ratione

contractus, nec dissolvi potuisse, sicut adhuc hodie vera sunt in terris, in quibus non viget constitutio Tridentini ea irritantis, nec solvi possunt, adversarii nobiscum solvere hanc objectionem debent.

Ad 3^{am}. prob. ex Conciliis. Et primo ad Conc. Carthaginense R. D. Hoc monet conjuges, quia juxta Concilium benedictio sacerdotis est sacramentum, vel forma sacramentalis N. quia est ceremonia sacra, vel, ut loquitur S. Thomas, quid sacramentale, habens adjunctum sacramentum C. Benedictio enim illa, licet sacramentum non sit, est tamen quid sacramentale; igitur sicut olim conjuges ob reverentiam in dies Festos et Dominicos ab actu conjugali abstinere debebant, ita recte Concilium monere potuit conjuges, ut idem facerent in reverentiam benedictionis nuptialis.

Ad Concilium Coloniense R. Potius pro nostra stat sententia; dicendo enim: *quod sacramentum, si quis sicut decet, acceperit, accedente precatone*, etc. supponere videtur, sacramentum confectum esse ante precationem, atque hanc illi accessoriam esse. Dicitur autem, *accedente precatone*, conferri donum Spiritus sancti; quia cum benedictio saltem præcepta fuerit, illam culpabiliter omittens gratiam percipere non poterat, utpote cui peccato suo ponebat obicem. Denique liceat ex adversariis querere, quomodo ex his: *accedente precatone*, probare velint, aut possint, hæc verba: *ego vos in matrimonium conjungo*, esse formam sacramenti, quæ sensum prelatorum nullum continent.

Ad Enchiridium jussu hujus Concilii editum R. D. Vocat sacerdotes ministros legitimos, quia conficiunt sacramentum ipsum N. quia contrahentes nec solemniter, nec licite perficere poterant hoc sacramentum, nisi præsentem sacerdote, exquirente consensum, et per verba de præsentem consensum nomine Ecclesiæ ratum habente et benedicente, verbo: quia sacerdos ad ceremonias matrimonii et solemnitatem principaliter concurrat C. Hoc duntaxat sensu sacerdotes dictos esse ministros matrimonii insinuat Concilium Viennense sub Clemente V. ubi lata in Religiosos matrimonia celebrantes excommunicatione, matrimonio assistentes vocantur, non *conficientes*, sed *solemnizantes*. Et vero hanc non aliam esse Enchiridii istius mentem, ex ejus verbis eodem Tr. de Matrimonio, quæ nimis studiosè dissimulant adversarii, planum fit; nam rem ita explicat: *Superest, ut verbum et elementum hujus sacramenti videamus, et gratiam insuper in eo conferri demonstremus. Verbum itaque hujus sacramenti, quo accedente ad elementum fit sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas et femina, cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque, non quovis modo, sed Dei nomine conjunguntur*. Ergo verbum, quo hoc sacramentum fit, quod proinde forma est, non est sacerdotis benedictio, sed quo contrahentes consensum dant, et accipiunt; dum igitur sacerdotes vocantur ministri legitimi, hoc in sensu dato intelligi debet. Eodem modo responderi debet ad Concilium Cameracense et Rhemense.

Ad Concil. Lateranense R. N. Cons. Nam benedictionem ibi jungit aliis sacramentis, non quia sacramentum est, sed quia est quid sacramentale, et ceremonia sacra; sic plura alia ibidem sacramentis jungit, quæ certe sacramenta non sunt; ait enim esse *horribile pro Episcopis vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non pro sepulturis et exequiis mortuo-*

rum, et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid recipere. Unde vox aliis non est relativa hic, sed absoluta, velut Luc. 23. Ducebantur et alii duo nequam cum eo.

Ad Concil. Constantiense. R. D. MARTINUS V. in fine Concilii sacramentis aliis adjungit matrimonii *solemnizationem* in abstracto N. sumptam in concreto pro matrimonio solemnem, contracto in facie Ecclesiæ C. Jubet Pontifex in Bulla ad finem hujus Concilii, suspectos de hæresi inter cætera specialiter interrogari, an credant, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccet lehaliter; ubi solemnizationem non sumit in abstracto, quasi in ea consisteret sacramentum; sed in concreto pro matrimonio solemnem, h. e. contracto in facie Ecclesiæ; sive pro matrimonio tam quoad substantiam ejus, quam solemnitatem; matrimonii vero quoad substantiam ministri sunt contrahentes, quoad solemnitatem est parochus.

Ad 4^{am}. prob. ex Ritualibus. Primo ad Romanum antiquum R. D. Sic loquitur de matrimonio sumpto adæquate, tam quoad substantiam, quam solemnitatem C. secus N. Matrimonii autem sic adæquate sumpti forma adæquata et integra coalescit ex verbis sacerdotis et contrahentium; nam per hæc quoad substantiam, per verba sacerdotis quoad solemnitatem perficitur.

Ad alterum Rit. Rom. jussu PAULI V. editum R. D. Ait administrationem sacramenti matrimonii pertinere ad parochos, quia contrahentes non possunt licite, nec modo juxta Tridentinum valide perficere hoc sacramentum sine assistentia parochi tanquam testis essentialiter requisiti, vel administrationem sacramenti matrimonii quoad ejus solemnitatem C. secus N. Eodem modo explica S. Carolus Borromæum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. §. 1.

Ad cætera Ritualia, ut Atrebatense, Yprense, Mechliniense R. ea, utpote post Tridentinum edita, sic loqui, quia Trid. supra cit. dixerat, ut parochus vel his verbis utatur: *ego vos in Matrimonium conjungo*; vel similibus. Sicut ergo, ut supra respondimus ad Tridentinum, hæc verba ibi exempli gratia proponuntur a Tridentino (alioquin enim Tridentinum non diceret, ut hæc vel similia proferat) ut per talia contrahentes jungat coram facie Ecclesiæ, non autem coram Deo; coram quo jam conjuncti sunt per datum consensum; sic nec plus volunt illa Ritualia, nec plus velle et intendere potuerunt.

314. Obj. V. Ex S. Thoma. S. Doctor variis in locis videtur sentire contrarium; ergo. Prob. Ant. Nam 1^o. p. 3. q. 83. a. 3. ad 8. inquit: *Dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ*; hi vero sacerdotes sunt. 2^o. In 2. 2. q. 100. a. 2. ad 6. *Dare pecuniam pro matrimonio, in quantum est Ecclesiæ sacramentum, est illicitum; et ideo in jure prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur*; ergo. 3^o. In 4. dist. 1. q. 1. a. 3. docet verba esse de essentia matrimonii ut sacramenti. Et cum sibi objecisset: *Pœnitentia et matrimonium sunt quædam sacramenta; sed de integritate eorum non sunt verba aliqua; ergo*. Sic ad 5. dicit: *Matrimonium, secundum quod est in officium naturæ, et pœnitentia, secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque*

est sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesie consistens, utrumque habet aliqua verba. Ergo juxta S. Doctorem utrumque in dispensatione sacerdotis consistit. 4°. In Supplemento q. 8. a. 1. *Solus ille minister est sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod est solius sacerdotis.* 5°. Lib. 4. conf. gentes cap. 78. probat matrimonium esse sacramentum, quia dispensatur per ministros Ecclesie; hæc autem probatio esset nulla, si contrahentes ministri essent.

R. 1°. Textibus allatis opponendo textus claros. Sic in 4. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 1. refertur in Supplem. q. 42. a. 1. ad 1. inquit: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Quid clarius? Item ibid. q. 45. a. 5. ad 2. cum secundo loco sibi objecisset: *Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur, nisi mediantibus Ecclesie ministris; ergo nec Matrimonium in occulto absque sacerdotis benedictione; sic respondet: Dicendum, quod actus noster in Pœnitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis, et ideo oportet, quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis; sed in Matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio; quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare, et ideo sacerdotis benedictio non requiritur quasi de essentia sacramenti.* Et ante in 6. dixerat: *Consensus expressus per verba de presenti inter personas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, etc.* Ex his jam patet responsio ad textus objectos. Unde

R. 2°. N. Ant. Ad prob. 4^{am}. R. Explico cum Dist. Dispensatio omnium sacramentorum eodem modo pertinet ad ministros Ecclesie N. dispensatio vel quoad confectionem aut essentiam, ut sex priorum sacramentorum; vel quoad solemnitatem tantum, ut fit in matrimonio C.

Ad prob. 2^{am}. R. N. Cons. Nam S. Doctor ibidem ipse sacramentum matrimonii signanter distinguit a benedictione nuptiali; et ex hoc, quod sit illicitum pecuniam dare pro matrimonii sacramento, solum probare vult, recte prohibitum esse ab Ecclesia, pecuniam exigere pro benedictione, cum sit saltem quoddam sacramentale; imo ipsa sacramenti solemnitas.

Ad prob. 3^{am}. R. Non hoc dicit vel cit. loc., vel ullibi, verba esse de essentia matrimonii ut sacramenti. Quod vero ad 5. dicit, mutilate affertur a Cano et aliis; signanter enim ex hoc ipso loco convincitur S. Doctor pro nobis esse; cum enim dixisset: *Utrumque habet aliqua verba*, immediate subdit: *sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum, et iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ; ut Pœnitentia autem est absolutio sacerdotis verbotenus facta.* Hoc præmisso

R. D. Cons. Ergo juxta S. Doctorem utrumque sacramentum in benedictione consistit eodem modo N. diverso C. Etenim juxta S. Doctorem pœnitentia in dispensatione ministri Ecclesie consistit quoad substantiam et formam essentialem: matrimonium vero præcise quoad solemnitatem; et hoc, non aliud intendit per oppositionem inter verba exprimentia consensum, et benedictiones ab Ecclesia institutas; nimirum conformiter illis, quæ dixit

sæpe alibi, ut resp. 1. citavimus: *Sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quasi de essentia sacramenti, etc.*

Ad prob. 4^{am}. R. D. Sacramentorum, id est, potioris numeri sacramentorum C. omnium N. vel subdist. ut ante: eodem modo N. diverso C. S. Doctor vocem sacramentorum non sumit universaliter; neque sic sumi potest, cum certum sit simplicem presbyterum, qui tamen habet ministerium super corpus Christi verum, non esse ministrum baptismi.

Ad prob. 5^{am}. R. D. Probat matrimonium esse sacramentum, quia per ministros Ecclesie dispensatur quoad substantiam N. quoad accidentaria, solemnitatem C. Addit enim, eatenus dispensari per ministros Ecclesie, quatenus quedam benedictio nubentibus adhibetur, quam constanter asserit alias pertinere ad solemnitatem. Igitur, ut notat in hunc Doctoris Angelici locum Ferrariensis, celebris S. Thomæ interpret, vult solum S. Doctor ex eo, quod ad benedicendum matrimonio adhibeatur minister Ecclesie, cognosci velut ex signo, matrimonium esse sacramentum, et non contractum mere civilem; quia si esset contractus mere civilis et profanus, non adhiberetur minister Ecclesie.

315. Obj. VI. Auctoritatem Theologorum. Ex his 1°. Canus refert Guillelmum Parisiensem Tr. de Sacramentis c. 9. (opp. 4. p. 525. C. D.) ubi inquit, quod apud fideles matrimonium sit *sacrans benedictionis virtute quod est proprium verorum plenæ virtutis sacramentorum*, Theologos Concilii Coloniensis, Paludanum in 4. dist. 5. q. 2., Scotum, et quosdam Canonistas veteres. 2°. Tournely post Guillelmum Paris. et Canum refert unum ex primariis Sorbonæ Doctoribus, qui teste Pallavicino L. 23. Hist. Conc. Trid. c. 9. sententiam Cani propugnavit in Conc. Trident., Toletum L. 7. Sacerdot. Instruct. c. 6., Petrum de Ledesma de Matrim. q. 42. a. 1. dub. 4., Estium, Sylvium, Dominicum Bannez, qui in 1. p. S. Thomæ q. 1. a. 8. inquit, *sententiam communem modo a multis improbari, non solum post celebrationem Concilii Tridentini, sed etiam antea, et Cani sententiam multos alios sequi absque ulla temeritate; quod enim uno tempore occultatur, postea per diligentiam et studium multoties innotescit.* 3°. Ludovic. Habert hisce addit sententiam de sacerdote ministro ante Canum fuisse receptam et probabilem; et quidem in Germania ut probabiliorem. Verum dictis hisce non obstantibus, sine metu, aut falsi periculo

R. 1°. Opponendo auctoritatem omnium Theologorum, qui ante Canum scripserunt, interque eos Theologiæ scholasticæ principes Hugonem a S. Victore L. 2. de sacramentis Fidei p. 41. c. 5. et 6., Magistrum Sententiarum L. 4. dist. 27. §. B. juncto §. C., S. Thomam ante citatum, Scotum in 4. dist. 26. q. unica. Item Durandum L. 4. dist. 27. q. 1. in 6., S. Bonaventuram in 4. dist. 27. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. 2. Et communem hanc sententiam fuisse testatur Dominicus Soto ex familia Dominicana Cano coævus, et ante hunc scribens in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. *Contrariæ sententiæ neminem eorum, qui hucusque scripserunt, meminisse.* Ex hac vero communi doctrina scholæ omnino colligitur, ut ait Bellarminus, doctrina et praxis Ecclesie, cum Pastores Ecclesie doceant subditos, juxta opiniones, quæ in scholis communes sunt.

Minus vere autem, ac minus reverenter in Angelicum præceptorem suum

ait Bannez, S. Doctorem ætate provectiorem ea scripisse, quæ non satis cohererent cum iis, quæ scripsit junior in 4. Sentent.; nam ferme singula, quæ nobis objiciunt adversarii ex Doctore Angelico, jam antea scripserat, quam scriberet ea, quæ pro sententia nostra attulimus. Ea vero, quæ ex L. 4. cont. Gent. objiciuntur, equidem ordine scriptionis posteriora sunt, minime tamen contradicunt iis, quæ S. Doctor scripsit alibi, cum ministros hujus sacramenti contrahentes assereret; ut liquet ex resp. ad illum textum S. Doctoris ex L. 4. cont. Gent. object. præc.

R. 2º. In citationibus Theologorum pro adversa sententia falsa veris commiseri. Unde

R. *Ad auctores citatos* a Cano. Et primo quidem Guillelmus Parisiensis perperam adducitur; esto enim, quod senserit benedictionem sacerdotis essentiali huic sacramento esse; non tamen juvat adversarios; nam Guillelmus per benedictionem intelligit orationes, quæ super nubentes fiunt, ut patet ex cap. 6. ubi ex professo agens de sanctitate matrimonii, ait, habere etiam matrimonium non parum sanctitatis ex benedictione et oratione sacerdotali; proinde hanc adhibendam esse, cum nec cibus sumendus sit absque oratione et benedictione sacerdotali, ubi sacerdotis est copia; tum post pauca rationem dat; quia gratia sanctificationis et puritas spiritualis nec Deo acceptabilius quæri, nec efficacius aut facilius obtineri, quam gratiosissimis Ecclesiæ precibus; at in his orationibus, precibus Ecclesiæ adversarii formam sacramenti non reponunt, nec reponere volunt, alterius vero formæ in toto hoc Tr. de Matrim. Guillelmus non meminit. Dixi: esto, quod senserit, etc. quia sic cum sensisse putant auctores communius; quanquam dissentire videatur Dominicus Soto relatus ante resp. 1. et alii, qui dubitanter Guillelmum referunt, forte, quod verba: *sacrans benedictionis virtute*, iis videantur explicare posse, de virtute ex opere operantis, præsertim si conferantur illis, quæ modo ex c. 6. retulimus. Interim non vacat hic, speciali disputatione inquirere mentem Guillelmi; cum ex dictis non juvet adversarios, volentes, formam essentiali esse: ego vos in Matrimonium, etc. nequaquam vero preces Ecclesiæ, vel orationes.

Quantum ad *Theologos Concilii Coloniensis* responsum est object. 4. Paludanus autem plane immerito citatur; nam ratio omnis, ex qua Canus Paludanus pro se allegavit, illa est, quod Paludanus cit. loc. dicat, non peccare eum, qui in peccato contrahit matrimonium, quod docuit a. 2. n. 22. Canus vero dictum hoc intellexisse videtur de matrimonio contracto sine sacerdote: sed fallitur; quia Paludanus expresse loquitur de omni matrimonio, etiam sacramento, et idem docuit de omni alio sacramento, scilicet non peccare mortaliter, qui sacramentum ministrat in mortali: et quidem eodem etiam loco expresse notat ministrum sacramenti matrimonii non esse sacerdotem. Quo igitur jure Paludanus citatur?

Scotus adhuc minus Cano favet; nam in 4. dist. 26. q. un. mentem suam sic exprimit, ut clarius non posset: *Sacramentum matrimonii est expressio certorum verborum maris et feminae se invicem significantium, traditionem mutua potestatis corporum ad prolem debite procreandam ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Nec juvat Canum, quod postea eodem loco dicat: *De ministro est aliud dubium, quia ut plurimum contra-*

hentes ministrant sibi ipsis hoc sacramentum, sed nec hoc requiritur necessario: in omni contractu est sacramentum; vel aliquando patres contrahunt pro filiis vel filiabus presentibus, eis non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est sacramentum; oportet dicere, quod minister hujus sacramenti potest esse indifferenter, quicumque potest esse minister in contractu matrimonii. Nam Scotus, ut ex verbis palam est, non dubitavit, utrum contrahentes sint ministri sacramenti matrimonii, si ipsi proferant verba consensum exprimentia; sed dubium Scoti erat hoc, an solus ille contractus matrimonii sit sacramentum, quando ipsi contrahentes consensum expriment? dicitque, si verum est, quando in omni contractu sit sacramentum, etiam parentes posse hoc sacramentum ministrare liberis, ut quando parentes liberis presentibus et tacentibus contrahunt; imo sic ministrare hoc sacramentum posse, quicumque potest esse causa efficiens contractus.

Male etiam a Cano quidam Canonistæ veteres allegantur, qui pulasse feruntur matrimonium non esse sacramentum, quasi hoc tantum dixerint de matrimonio, cui non assistit sacerdos; nam primo Canonistæ illi non negabant matrimonium esse sacramentum; sed erronee putabant, licet sacramentum sit, non tamen conferre gratiam ex opere operato. Vid. artic. 2. Deinde quod Canonistæ illi docuerunt de matrimonio, non tantum docuerunt de illo matrimonio, cui non assistit sacerdos; sed de quocumque, sive assistat sacerdos, sive non; quod error erat, et longe distat a sententia Cani.

Ad auctores cit. a Tournely. Et quidem Doctor ille Sorbonicus sententiam adversam ferme nihil promovet; unus enim hic ex toto Senatu Patrum Tridentinorum et Theologorum ibi presentium refertur a Pallavicino propugnasse sententiam Cani; quæ autem sententia tam heteroclita aliquando fuit, quæ non unum saltem alterumque patronum haberet? Nihil etiam illi Doctori tribuendum censuerunt Patres: unde subdit Pallavicinus. *plures ac præstantiores ex Doctoribus in oppositam partem, h. e. nostram sententiam, concurrunt; et illa sententia (Doctoris Sorbonici) ægre toleratur, et a pluribus castigatione censoria reprehenditur, præsertim post hoc Tridentinum decretum.*

Toletus gratis refertur; dum enim ait post Tridentinum ministrum hujus sacramenti esse sacerdotem, idque ad ipsius essentiali pertinere, non negat contrahentes esse ministros, sed præter contrahentes ex decreto Tridentino requirit etiam sacerdotem cum testibus, ut valide celebretur, cum tamen ante Tridentinum, ut ipse fatetur, non fuerit necessarius sacerdos; ergo cum expresse dicat, ante Tridentinum, ad valorem hujus sacramenti non fuisse necessarium sacerdotem, sed post, intelligi non potest de ministro sacramentum conficiente, alias nec antea fuisset sine sacerdote ministrante validum, cum talis minister nequeat ab Ecclesia institui; sed tantum intelligi potest de ministro assistente, solemnizante, et testificante.

Petrus de Ledesma vero totus contrarius est adversariis; quid enim ipse sentiatur, quæst. 42. art. 1. sic declarat: *Ultima conclusio. Post Concilium Tridentinum non videtur mihi probabilis sententia Magistri Cano: sed tenendum est tanquam certum, quod non requiritur forma ex parte ministri Ecclesiastici, etiam in ratione sacramenti: certum tamen est, quod requiritur presentia sacerdotis ad matrimonium, etc.* Quibus nihil clarius. Hoc solum dixerat in concl. 4. probabile esse, quod ante Tridentinum et Florentinum

fuerit necessaria aliqua forma ex parte sacerdotis ad matrimonium in ratione sacramenti; idque contra Soto dicentem, quod ante Canum nullus fuerit, qui hanc sententiam defenderet. Ratio autem, quare hoc probabile vocarit Ledesma, erat; quia, inquit, Magister Cano multos pro se adducit Doctores. Sed hos sine jure adduci a Cano ante ostendimus. Subsistit ergo assertio Dominici Soto, nec favet Ledesma adversariis.

Bannez etiam frustra opponitur: nam *primo* falsum est, communem nostram sententiam a multis improbari ante Tridentinum, ut facile evincitur ex allatis hactenus Doctoribus. *Secundo*, pauci sunt admodum, qui post Tridentinum a communi sententia recesserunt, si comparentur iis, qui nobiscum sentiunt. *Tertio*, non sine injuria tot gravissimorum Theologorum, qui fere per quingentos annos hac de re disputarunt, asseritur, eos omnes fugisse veritatem, et soli Cano apparuisse, in re adeo capitali, ubi de forma et ministro sacramenti agitur, præsertim cum argumenta, quæ in Florentino Canus se invenisse putat, debilia sint, ut ex responsis ad ea colligitur; alios vero Doctores male pro se allegarit, ut dictum. Non remanent igitur Tournelio Doctores, nisi Estius, Sylvius, et forte quidam alii.

Quod denique Ludovicus Habert affirmat, sententiam de sacerdote ministro ante Canum receptam fuisse ut probabilem, et quidem in Germania ut probabiliorem; utrumque falsum est, et sine omni fundamento asseritur; cum nulli auctores ante Canum tam in Germania quam extra Germaniam assignari possint, qui ita vel sensissent, vel docuissent, vel scripserint.

316. *Obj. VII. Ex ratione.* 1°. Matrimonium contractum solis conjugum verbis non significat effectum sacramentalem. 2°. Ante Tridentinum et juxta jus antiquum sponsalia per copulam affectu maritali factam transibant in matrimonium, et copula sic habita supplebat vices horum verborum: *accipio te*, etc. ergo contrahentes non possunt dici ministri hujus sacramenti; quia alias copula illa illicita dici deberet pars sacramenti, vel actio vice Christi facta; quod absurdum est dicere.

Ad 1^{am}. R. N. A. Significat enim spiritualem conjunctionem conjugum per charitatem mutuam.

Ad 2^{am}. R. 1°. Videtur esse moraliter impossibile, ut copulam animo maritali factam nulla præcedant verba vel signa, quibus sponsi significant, se in eam consentire affectu maritali; ac ut proinde non antecedenter ad illam sit contractum matrimonium per illa verba vel signa consensus. Interim etiam admissio casu

R. 2°. *D. Ant.* Copula carnalis præcise et ratione sui N. Nam etiam tunc copula, secundum se erat indifferens, ut fieret vel affectu maritali in ordine ad contrahendum matrimonium, vel animo fornicario explendæ libidinis causa. Copula ratione signi, vel cum manifestatione mutui consensus in matrimonium C. Cum enim copula ratione sui sit indifferens, ut fiat vel animo maritali, vel fornicario, non ipsa, sed utriusque consensus externe expressus fiebat vice Christi prout ordinatus ad sacramentum. Nimirum causa efficiens matrimonii sacramenti est consensus mutuus externe expressus; quod autem expressio fiat per hoc vel tale signum, habet se accidentaliter et materialiter. Sique hoc signum sit actio turpis, non ideo

valori obstat sacramenti, sed solum ponit obicem gratiæ ex parte subjecti. Sic respondere debent ipsi adversarii in casu, quo aqua in baptismo applicatur per tactus impudicos, ubi quidem hæc actio esset materia proxima baptismi.

ARTICULUS V.

QUÆ SIT MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII?

317. Multiplex hic est Scholasticorum sententia. Illi, quibus placet, ministrum hujus sacramenti sacerdotem esse, pro materia plerique assignant contractum legitimum; pro forma verba sacerdotis: *Ego vos in Matrimonium conjungo*. Cæteri vero, qui nobiscum communiter alias ipsos contrahentes esse hujus sacramenti ministros contendunt, quoad materiam et formam tamen dissentiunt. Navarrus in Summ. cap. 22. consensum internum esse materiam adæquatam docet; formam vero verba, aut alia externa signa consensum exprimentia. Paludan. in 4. dist. 26. q. 4. a. 3. ad 2., Covarr. L. 4. Decret. p. 2. c. 1., Vasquez disp. 3. de Matrim. sect. 5. aliique ipsa contrahentium corpora esse materiam sustinent; formam, consensum verbis aliisve signis sufficienter expressum.

Nos cum Suarez, Bellarm., Sanch., et recentioribus passim in contractibus duplicem materiam distinguimus. Altera est remota seu *circa quam*, quæ sunt res ipsæ, de quibus contrahitur, et objectum, in quod cadit consensus contrahentium. Altera est proxima seu *ex qua*, et dicitur illa, ex qua componitur et constat contractus. Prior constitutionem contractus non intrat, cum sit tantum ipsius objectum. Posterior contractum ingreditur ut pars intrinseca, ex qua et forma constituitur unum compositum morale pariens obligationem ex parte utriusque contrahentis. Unde

318. *Dico I.* Materia adæquata hujus sacramenti non videtur convenienter poni posse præcise in consensu interno.

Prob. Primo enim consensus internus non potest dici materia *remota*, ut per se patet; cum materia remota sit illa res, circa quam ipse consensus versatur. Deinde non potest convenienter dici materia *proxima*. *Prob. hæc pars 1^o.* In contractu humano: item in sacramentis materia debet saltem ex aliqua sui parte esse sensibilis; sacramenta enim ex genere suo sunt signa sensibilia, non tantum ratione formæ, sed etiam materiæ; sed consensus internus ex nulla sui parte sensibilis est. Dixi: *saltem ex aliqua sui parte*, quia non est inconueniens, materiam partialiter esse insensibilem, quæ fiat sensibilis per aliam materiam partialem, ut in sacramento Pœnitentiæ dolor interior, qui est partialis materia, fit per confessionem sensibilis, quæ cum dolore unam materiam totalem integrat. *Prob. 2^o.* Materia et forma in sacramentis debent proportionari materiæ et formæ in compositis physicis; per horum enim analogiam assignantur in sacramentis: sed in compositis physicis materia semper est quid indifferens et determinabile; forma autem determinata ad unum; ergo idem in sacramentis dicere convenit. *Subs.* Atqui consensus internus non est quid indifferens et determinabile in conjugibus, sed est actus determinatus ad suum tantum objectum